MONACHORUM quatuor esse genera
manifestum est. Primum caenobitarum
hoc est monasteriale militans sub regula
ut abbate. Deinde secundum genus est anachoretarum.
id est heremitarum. horum qui non conversionis fervo
re novicio sed monasterii probatione diuturna didicerunt
contra diabolum multorum solatio iam docti pugnare;
Et bene instructi fraterna ex acie ad singularem pugnam
heremi. iam sine alterius consolatione sola manu ut brachio
contra vitia carnis ut cogitationum deo auxiliante suffi
ciunt pugnare; Tertium vero monachorum teterrimum genus est
sarabaitarum. qui nulla regula adprobati experientia
magistri sicut aurum fornacis. sed in plumbi natura
molliti adhuc operibus servantes saeculo fidem mentiri
deo per tonsuram noscuntur; Qui bini aut terni aut certe
singuli sine pastore non dominicis sed suis inclusi ovilibus;
pro lege eis est desideriorum voluptas. Cum quicquid puta
verint ut elegerint hoc dicunt sanctum et quod noluerint
hoc putant non licere; Quartum vero genus est monachorum
quod nominatur girovagum. qui tota vita sua per diversas
provincias ternis aut quaternis diebus per diversorum cellas.